

Demnach steht die Sache so: Die Gegner der Vita S. Mauri fragen triumphierend: Wie kann Faustus Zeitgenosse eines Maurus von 543 sein, wenn er den Ostertag des Jahres 543 auf den 22. März ansetzt, während er doch nach römisch-alexandrinischer Rechnung erst am 5. April traf?

Und Faustus fragt höchst überrascht mit begütigendem Lächeln: Gelehrte Herrn, Ihr sprecht von römischen Ostern 543 — ich aber von einer gallischen Spezialität des Oster-Kalkuls in Font-Rouge — wie möget Ihr das übersehen?

Ihr seid gewohnt, den 21. März als Todestag des hl. Benedikt zu betrachten; ganz recht. Odo tat desgleichen und seine Publikation änderte daran nichts. Er begriff, es handle sich in meiner Biographie um ein anderes Ostern als das Eurige: Was 543 in Font-Rouge Charsamstag war, war in Rom der Samstag vor dem Passions-Sonntag;¹⁾ der 21. März jedoch war überall!

Abt Ludolfs von Sagan Traktat ›Soliloquium scismaticis.‹

Von Dr. Franz Bliemetzrieder, St. Rein.

(Fortsetzung zu Heft I. 1905, S. 29—47.)

Tercio queritur, an non cedendo vel ante cessionem administrando nutritor antiqui scismaticis esse censeatur.

Et arguitur, quod non.

1. Scisma non nutritur absque iniuria Dei et Ecclesie, de here. Vergentis.²⁾ Sed nulli facit iniuriam, qui utitur iure suo, de elec. Cum Ecclesia.³⁾ Gregorius autem perseverando in papatu et administracione eius utitur iure suo, titulo scilicet suo sibi iuste acquisito. Igitur nullum scisma nutrit.

2. Quamvis divisionem facientes in Ecclesia scismatici iudicentur, duo tamen de papatu certantes licet per hoc divisionem faciant, a scismate excusantur, ut habetur in glossis 24. q. 1. in summa[rio] et c. Didicimus.⁴⁾ Igitur etc.

3. Nullum est iam scisma in Ecclesia, quia nulla est culpabilis et pernicioosa divisio. Igitur nullum nutriri potest. Consequentia tenet per c. Ad dissolvendum de despon impu.⁵⁾ Quod enim non est, nec nutriri nec confirmari potest. Quod autem nullum scisma

¹⁾ Interessant ist die Notiz Mabillons, die alten Kalendarien hätten vielfach den 22. März als *primun pascha* bezeichnet. Praefatio ad Acta SS. O. S. B. p. XIV. num. XI. (Venetiis 1733).

²⁾ c. 10, X, de haeret., 5, 7.

³⁾ c. 31, X, de elect., 1, 6.

⁴⁾ c. 31, vgl. Corp. iur canon., ed. Friedberg, S. 977.

⁵⁾ c. 13, X, de desponsat. impuber, 4, 2.

perniciosa divisio sit eam in populo christiano probatur. Ambe obediencie salvantur. Igitur nullum perniciosum scisma est. Antecedens probatur. Da enim oppositum et sequitur quod qua ratione una obediencia in probabili dubio non excusatur a scismate, eadem ratione nec alia. Et si sic, iam tota Ecclesia est scismatica et per consequens nulla, quod est impossibile, 24. q. 1. Pudenda.¹⁾ Deus enim pro ea oravit, ut fides eius nunquam deficeret et promisit cum ea esse usque ad consummationem seculi, Luce XXII et Mathei ultimo. Insuper et falsitas huius consequentis, videlicet, quod ambe partes scismatice sint, apparet ex eo. Ipse enim faciunt universale concilium, quod debet iudicare Gregorium, ut patebit infra in quadam questione sequenti.²⁾ Patet hoc etiam ex literis dominorum Cardinalium et ex determinacionibus studiorum Parisiensis et Bononiensis,³⁾ quibus merito fides adhibetur, eo quod unicuique in sua facultate credendum sit. Et quomodo hii tunc iudicarent Gregorium, si per se scismatici essent, 3. q. 7. Qui sine peccato est,⁴⁾ et c. sequentibus. Igitur etc.

[fol. 118 v^o] 4. Quod nichil est, nichil nutrit. Non cedere nichil est, quia sonat in privacionem. Igitur etc.

5. Quid est nutrire scisma, nisi continuare. Nemo autem continuat, quod ipse non incepit. Sed scisma presens non Gregorius vel pars Gregorii incepit. Igitur nec illud continuare vel nutrire potest.

6. Si scisma nutriret, vel hoc esset, quia non cedit, vel quia ante cessionem papalibus se ingerit. Sed neutrum dari potest. Alias enim et ipse prius ante lapsum anni et tres antecessores sui scismatici fuissent, quia nec ipse tunc nec illi cesserunt vel sine cessione a papalibus abstinerunt. Sed hoc videtur absurdum, quia si scismatici fuissent, creare cardinales, non potuissent et sic Gregorius iam papa non esset, utpote electus ab hii qui cardinales non fuerunt.

In oppositum. Primo. Qui potest et ex debito tenetur obviare manifesto facinori et temere dimittit, in facinus consentit ipsumque fovet et nutrit, de sen. ex. Quante.⁵⁾ Sed manifesto huic scismati tenetur Gregorius ex debito sui officii et iuramenti occurrere, ut

¹⁾ c. 33.

²⁾ Nämlich in der 7. Quästion.

³⁾ Unter den »litterae dom. Cardinalium« ist offenbar das Ausschreiben des Pisaner Konziles seitens der Kardinäle vom 24. Juni 1408 (DRTA, 6, Nr. 267, S. 377) gemeint; darin wird betont, daß die gesamte Kirche sich versammeln müsse, d. h. beide Obedienzen (»tota [utraque obedientia] in tali casu necessario est congreganda« S. 983, 37.) In diesem ihren Ausschreiben berufen sich die Kardinäle auf die Konklusionen der Universitäten zu Paris und Bologna, welche im Texte erwähnt sind. Aus Bologna stammt ein Gutachten, das wichtigere, vom Spätherbst 1407, und das zweite vom Sommer 1408; die Pariser Konklusionen entstanden im Mai 1408.

⁴⁾ c. 3.

⁵⁾ c. 47, X, de sentent. excommun., 5, 39.

ostensum est in questione 1., et potest hoc facere per suam cessionem et non — administracionem et nullam racionabilem causam habet, quare hec non faciat. Igitur ipsum nutrit et in ipsum consentit. Et quamvis aliquas causas vel potius occasiones alleget, tamen omnes insufficientes sunt, ut in questione prima deductum est. Quaecumque enim causam, quantumcumque coloratam, allegaverit, semper verior, maior et forcior causa est in oppositum, ut iam racionabilis causa non sit, cui racionabilior contradicit. Racio enim que semper deprecatur ad optima et que maius minori preponit, contra eum est, cum stante casu de quo queritur, maius bonum non reperiatur, quam quod Dei ecclesia integretur.

2. Non tribuens panem in extremis famem patienti, ipsius famem nutrit, quinymmo morientem occidit iuxta illud: Si non pavisti, occidisti, 76 [sic] di. Pasce.¹⁾ Quomodo ergo non succurrens langwilde et scisse iam matri Ecclesie morbum illius et scissuram non alit et eam quantum in ipso est non occidit?

3. Ex sola omissione vel taciturnitate quis censetur patronus et adiutor turpitudinis secundum illud: Patronus est turpitudinis, qui celat crimen uxoris, de iu. iu. Quemadmodum,²⁾ ymmo et ostensor est crudelitatis, 5. q. 5. c. 1, multo magis ex commissione vel opere. Consequentia probatur de ho. Sicut dignum est in § Illi eciam.³⁾ Maius est enim opere concurrere, quam tacite dissentire. Facit c. Sicut tuis de sy.⁴⁾ Sed Gregorius non cedendo, ut tenetur, non solum omittit, quod ad extirpandum scisma tenetur, scilicet resignare dignitatem papalem in manibus dominorum Cardinalium, sed et multa facit ad scisma, que facere non deberet; exercet enim actus papales, qui scisma continuant, literas dat ut papa, redditas, obedientias et honores tollit ut papa, ut non solum obmittendo, sed committendo nutriat scisma.

4. Quod Gregorius non cedendo scisma foveat probatur ex intellectu huius vocabuli: non cedere. Videamus igitur, quid sit non cedere. Sed ut illud videre possimus, videamus primo, quid sit cedere. Opposita enim iuxta se posita magis elucescunt. Quid est igitur papatui cedere, nisi eidem renunciare cum effectu. Verba enim cum effectu accipienda sunt, de cle. non re. Relatum.⁵⁾ Sed quid est papatui renunciare cum effectu, nisi renunciando ita se effectualiter et in veritate disponere, quod ab omnibus papalibus actibus et officiis effectualiter et in veritate abstineat et de illis se nullatenus intromittat. Si ergo cedere est se non intromittere vel non ingerere, sequitur, quod intromittere vel ingerere sit non

¹⁾ c. 21, D. 86.

²⁾ c. 25, X, de iureiur, 2, 24.

³⁾ c. 6, § 2, X, de homicid., 5, 12.

⁴⁾ c. 33, X, de simon., 5, 3.

⁵⁾ c. 4, X, de clericis non resident., 3, 4.

cedere. Sed, ut superius dixi intromittendo et ingerendo se scisma nutrit. Ergo non cedendo nutrit. Quod fuit probandum.

5. Quia quidam innitentes verbali cortici, non medulle sensus interiori dicunt, quod cedere nichil aliud sit nisi dignitati renun iare et post renunciacionem ab administracione abstinere, probanda est divisim et sola huius questionis pars secunda, scilicet, quod Gregorius ante cessionem se ingerendo papalibus actibus nutriat scisma. In quo namque scisma consistit, nisi in eo, quod uterque horum antistitum papalia facit? Si excusaret eos, quod nondum cesserunt et ideo ante cessionem administrare possent absque scismatis nota, non cederent in eternum. Nunc autem quia in hoc directe divisio consistit Ecclesie, quod eorum quilibet dinoscitur administrare, constat, quod quanto diucius eciam sine omni cessione amministrant, tanto plus scisma continuant, nutriunt et prolongant.

Solutio. Gregorius non cedendo vel eciam ante cessionem amministrando scisma nutrit.

Ad argumenta pro alia parte facta responderetur.

Ad primum. Scisma non fit sine iniuria, transeat illa. Sed Gregorius nulli facit iniuriam, quia utitur iure suo. Dico quod iure si quod habet, non utitur, sed abutitur. Ille enim abutitur iure suo, qui illo male utitur, qui utitur eo, iure prohibente, vel aliter quam iusticia velit. Sic est de Gregorio, ut ostensum est. Igitur etc. Et ille abutens etiam iniuriam facit presertim reipublice, cuius interest ne quis re sua male utatur. Quodsi reipublice, igitur et Deo, qui reipublice auctor et conservator est; quod enim membris suis fit, sibi fit.

2m. Ad glossas illas duas allegatas dic, quod loquitur non assertive, sed dubitative. Unde et prima dicit „forte“. Secunda autem ad primam remittit; igitur, si remittit ad dubiam, dubitat et ipsa. Vel dic. Duobus contendentibus de papatu aut ambo sunt iniusti aut unus iustus et alter iniustus. Tercium enim membrum, quod ambo sint iusti, dari non potest ex eo, quia non potest esse papa nisi unus, 7. q. 1. Factus est,¹⁾ et una ecclesia debet esse unius sacerdotis, de prebend. Cum non ignores.²⁾ Si primo modo, tunc vel ambo sunt notorie aut verisimiliter iniusti et quis excusabit eos?, 79. di. Si duo,³⁾ vel neuter eorum est notorie aut verisimiliter iniustus, sed quilibet eorum habet probabilem causam litigandi, tunc excusari possunt et sic intelligantur gloze ille, 24. q. 1 in summa, et c. Didicimus, dum tamen parati sint modis congruis ad ecclesiasticam unionem venire et in fide illa permaneant, quod Ecclesia debeat esse una, ut infra plenius dicetur. Vel unus solus est notorie aut verisimiliter iniustus, alter autem, quamvis

¹⁾ c. 5.

²⁾ c. 15, X, de prebend., 3, 5.

³⁾ c. 8.

iniustus sit, tamen probabiliter contendit et tunc, primo minime excusato, excusatus est secundus usque ad declarationem legitimam cum conditionibus, de quibus infra. Si autem unus iustus est et alter iniustus, iniustum notorie vel verisimiliter quis contra iustum a scismate excusabit? Quis enim excusat Novacianum contra Cornelium, Petrum Leonis contra Innocencium II., Octavianum et Gwidonem contra Alexandrum III.? De quorum aliquibus habetur 7. q. 1. Factus est,¹⁾ et de seis c. 1.²⁾ in glo[ssa]. Quod si uno iusto existente alter iniustus est, sed non notorie aut verisimiliter — habet enim forte causam probabilem contendendi — excusatus est usque ad legitimam declarationem de iniusticia sua, cum conditionibus tamen, de quibus supra et plenius infra. Probabile enim dubium in multis excusat, de usu. c. ultimo³⁾ cum concor.

[fol 119 r^o] 3. Nullum scisma est, igitur nullum nutritur. Respondeo: negatur antecedens, quia et magnum esse presupponitur in casu et ipsum esse plus experientia discimus quam in codicibus legamus. Cum autem dicitur: Nulla culpabilis et perniciosa divisio est, quia ambe partes salvantur, respondeo: De ambabus partibus multi salvantur, sed non omnes salvantur. Illi qui in divisione manent indivisi credentes semper firmiter, quod Ecclesia sancta catholica debet esset una in capite et in membris, nec contempnunt aut negligunt ad unionem ipsam modis congruis pervenire, sed cum omni diligencia laborant, ut ipsa unio subsequatur; non enim magis obligantur ad credendum et intrandum unicam Dei domum, quam ad credendum et suscipiendum unicum baptismi sacramentum. Nec tamen damnati sunt omnes, qui regenerati non sunt, quia nichil illis imputari poterit, quos sine sacramento baptismi fides ipsius sacramenti salvos constituit aut quos ab illo non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Et quamvis hec verba possent ad solutionem huius argumenti sufficere, volo tamen materiam hanc laicius prosequi pro consolacione facienda michi ipsi.

Sciendum igitur, quod sine baptismo fluminis tria hominum genera salvantur, sic et tria genera hominum extra Ecclesie unitatem. Primi sunt, quia christianis parentibus nati et inter christianos ab infancia conversati presumunt vehementissime sicut et presumere debent se rite baptizatos esse et tamen in veritate baptizati non sunt, quia presbyter eos baptizans forsitan aliquod verbum de substantia ipsius baptismi obmisit vel quia per aliquem casum possibilem neglectum est, ut non baptizarentur. De quo tamen ipsi nec tenentur, nec debent inquirere, sed presumere omnia rite peracta esse. Hii per fidem, in qua sunt, per quam

¹⁾ c. 5.

²⁾ De schismat., X, 5, 8.

³⁾ c. 11. Naviganti, X, de usur., 5, 19.

et membra Christi facti sunt, sine baptismo salvi fiunt, de pre. non bap. c. ultimo.¹⁾ Et hii significant eos, qui in domo Dei, quando communiter reputabatur unicum et verum caput habere post Christum, quamvis forte tale non habuerit, in fide Christi militabant. Quid enim eis imputari poterit ad salutem, qui tempore Gregorii XI., Urbani V., Innocencii VI. vel aliorum Romanorum presulum, quando nulla fuit de papatu contencio, crediderunt eos esse veros Jesu Christi vicarios et eos pro talibus habuerunt, eciam si tales in veritate non fuissent, propter aliquem forte defectum, qui in eorum eleccione commissus esset; salvati sunt in fide unius Ecclesie, unius capitis et unius corporis, nec de illis occultis defectibus, si qui forte intererant divinare poterant, nec tenebantur, ut ec. be. c. unico.²⁾ Secundi sunt, qui pro certo scientes se baptismo carere illum ex toto corde desiderant sed habere non possunt, ut si iudeus in extremis baptizari vellet et non haberet aquam, in qua, vel personam, a qua baptizaretur; in fide sacramenti salvatur, quia ab eo separatur non temeritate animi, sed impossibilitate facti, de bap. Debitum.³⁾

Et hii significant eos, qui in hoc scismate sciunt pro certo, nec Gregorium, nec Petrum de Luna caput esse Ecclesie, ex eo, quia certi de facto et iure, ut asserunt, dicunt eleccionem Urbani VI. et Roberti Gelenensis, qui et Clemens VII. dicebatur, quorum hii duo successores sunt quamvis non ambo immediati, minime valuisse, sunt tamen proni illum habere pro unico pastore ovium Christi, qui ad hoc canonicè eligeretur laborantes ad hoc modis omnibus, quibus possunt, ut hoc fiat, quamvis propter impedimenta diversa non fiat; salvi sunt, non quia in unitate unius Ecclesie, sub uno capite terreno sunt, sed quia fidem habent Ecclesiam debere esse unam in capite, sicut et in membris, a quo unico capite non segregat eos contemptus aut temeritas, sed necessitas, impossibilitas et ingesta per alios difficultas. Tercii sunt, qui nec se presumentes vehementissime baptizatos nec pro certo scientes se non baptizatos, de lavachro suo sunt verisimiliter dubii habentes aliquid verisimile non tamen plene probacionis, quod non sint in Domino renovati; scientes autem, quod non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum, laborant quantum possunt, ut sub condicione: si baptizati non sunt, rebaptizentur, sed talem rebaptizatorem nequeunt invenire. Et hii sine baptismo, vel saltem sine eius certitudine, in eius tamen fide salvantur, quoniam et ipsi ab eo non per contemptum, sed per necessitatis articulum separantur. De qua materia habetur in c. 2 de bap.,⁴⁾ et in c. ultimo de

¹⁾ c. 3 Veniens, X, de presbyt. non baptis., 3, 43.

²⁾ c. Ut nostrum, X, 3, 12.

³⁾ c. 4, X, de bap., 3, 42.

⁴⁾ c. 2 De quibus, eod.

pres. non bap.¹⁾ Per hos representantur illi, qui in hoc scismate verisimiliter dubii de iure et Gregorii et Petri de Luna, pro unione sancte matris Ecclesie omnes suos conatus adhibent parati de incertis et dubiis certi et securi fieri et unioni corporis Christi mistici sub uno post Christum capite in terra regendi in caritatis visceribus aggregari; excusati sunt et hii apud Dominum, qui quando non potest opus subsequi, solum remuneratur affectum.

Vidimus igitur eos, quibus hoc scisma non nocet, videamus et illos, quibus nocet. Nocet illis, qui scientes sciencia iuris et facti vel se scire reputantes aut Gregorium aut Petrum de Luna Romanum esse pontificem ab uno ad alium, a vero ad falsum se divertunt propter locum, aut gentem, odium, gratiam, vel favorem. Nocet et hiis, qui ex hoc scismate in errorem illum inciderunt, ut credant ecclesiam Dei licite per duos posse regi et corpus Domini speciosissimum posse duo habere capita quasi monstrum. Nocet et hiis, qui licet recognoscant Ecclesiam sanctam unum rectorem habere debere, unire tamen eam laboribus suis et conatibus nequaquam volunt aut negligunt maxime, si ex eo, quod sub duobus capitibus liberius peccare possunt quam sub uno, vellent eam ex tali contemptu in tam pernicioosa scissura in perpetuum permanere. O quot sunt de hiis primis, secundis et terciis, qui talibus modis in hac divisione pereunt, quibus quia hii duo gemelli in utero Rebecce pro primatu certantes occasio peccati sunt, recte dicitur, quod ipse Gregorius non cedendo vel non abstinendo ab administracione sua eciam ante cessionem scisma antiquum et perniciosum nutrire censetur. Porro dato, quod ambe obediencie quo ad singula eorum supposita in hoc scismate remanerent illese, per hoc non sequitur, quod scisma non sit. Plures namque illesos in igne legimus et tamen ignis fuit. Plures illesos ab igne legimus, cuius tamen ignis incensores ab eo combusti sunt, ut, eciamsi nullus subditorum utriusque obediencie ex ipso scismate dampnum incurreret, ipse tamen Gregorius sibi et fratri suo Petro de Luna vetus et periculosum scisma, nutrireret.

Ex hiis itaque premissis sequitur, quod articulus ille fidei, quo credimus unam sanctam Ecclesiam non ita debet intelligi, quod ipsa semper in terris unum mortale caput habeat, cum sepe vacet et rectore careat, nec ita, quod eum qui illius post Christum caput est, scire semper [fol. 119 v^o] et eum pro papa habere debeamus, cum aliquando duobus de illo contententibus quis eorum verus Jesu Christi vicarius sit probabiliter ignoremus, sed ita debet intelligi, quod ipsa unica est civitas, domus et congregacio uni Deo unicam fidem servans, extra quam nullus salvatur; quod ipsa unicum principale caput habet, Christum Do-

¹⁾ c. 3 Veniens, cit.

minum, qui eam non deserit in eternum; quod ipsa potestatem habet per duas partes cardinalium unicum sibi rectorem post Christum assumere, qui vice Christi eam in cunctis dirigat; quod ipsa hunc per illos sibi tenetur eligere et ut ille sit et unicus sit, per singula sua membra quantum eis est possibile modis omnibus laborare et quod ille de quo certitudinaliter constat quod sit ab eis canonice in papam assumptus, pro tali ab omnibus habeatur. Hac digressionem ex causa facta revertamur ad solutionem aliorum argumentorum, que adhuc supersunt.

Ad 4^m. Non cedere papatui nichil est; igitur nichil nutrit. Dic quod sicut peccatum iuxta beatum Augustinum nichil est, tamen quia interpretative et reductive aliquid est, generat mortem, Jacobi 1. Unde et iudex dicturus est: „Quia non dedistis michi manducare et bibere, ite in ignem eternum“.¹⁾ Non dedisse enim iuxta interpretationem beati Ambrosii occidisse est. Aliter. Non cedere papatui non solum est privatio actus unius, sed et inclusio actus alterius, sicut demonstratum est supra in argumentis pro parte affirmativa introductis, quia non cedere comprehendit ingestionem ad actus papales, amministrationemque et exercicium eorum.

5. Dic quod multi continuant, que alii in iudiciis ineeperunt, de procu. Si duo li. VI.²⁾ Multi quoque alienos pullos nutriunt, ignem per alios incensum alunt, errores aliorum sequuntur et continuant, 24. q. 3. Dixit Apostolus.³⁾ Multi quippe non viderunt Arrium [sic], Donatum, Manem aut Nestorium et tamen quod illi scelerate ineeperunt, ipsi sceleracius exequentur. Preterea quod dicitur, quod pars Gregorii scisma non ineeperit, a multis negatur. Pendet igitur hoc adhuc in dubio et stat in diffinitione futuri concilii et adhuc nescitur, quis conturbavit Israel, pontifex unus vel alter, Helyas vel Achab, quia non est adhuc usquequaque clarum, quis Helyas sit.

6. Dic interim quod ambo collegia cardinalium non fuerint simul collecta, nec concordaverint de eleccione unica unici pape, resignacio Gregorii et eius abstinencia ab administratione fuissent inutilia ad unionem Ecclesie Eo etenim resignante cardinales eius soli alium in locum eius contra Petrum de Luna forte substituisset et sic fuisset Ecclesia ut prius. Item si tune ambo cessissent, vel abstinuissent, adhuc quodlibet collegium sibi suum specialem elegisset, nunc autem secus est. Quamquam autem ante finem anni cardinales utriusque partis fuerint simul collecti et concordés forsitan effecti, tamen quia Gregorius tempus unius anni sibi cum consensu amborum collegiorum prefixit, anno durante non

¹⁾ Jac. 1, 15., Matth. 25, 42.

²⁾ c. 6, de procurator., 1, 19 in VI

³⁾ c. 29.

fuit in mora vel pertinacia non cedendi. Nunc autem quia dies statuta interpellat pro homine, de loca. c. fi.,¹⁾ et cum hoc a multis post annum requisitus est ut cedat et celeriter atque convenienter Ecclesiam uniat et per consequens etiam ut interim ab amministrazione se suspendat, quia unum ad aliud sequitur, ut ostensum est in questione proxima, a seismatis alimonia excusari non potest. Sic et potest dici de predecessoribus suis tribus, quorum temporibus non fuit adhuc via unionis tam bene trita, manifesta et disposita, sicut iam.

Quarto queritur, an Gregorius nutriendo scisma antiquum vel alias ex dictis suis et factis sit pro heretico habendus.

Et arguitur ad partem negativam, quod non.

1. Dato quod scisma nutriret antiquum vel in errorem alium incidisset, paratus est tamen corrigi presertim a suo concilio generali, ut patet ex literis suis quas scribit et dirigit. Igitur hereticus non est, de su. c. Dampnamus²⁾ prope fin. cum concor-[dantibus] suis.

2. Quantumque quis induratus et incorrigibilis sit in presenti tamen adhuc quod evadat notam heretice pravitatis, sufficit, ut corrigat errorem suum, antequam legitime deprehendatur; post deprehensionem enim, quantumcumque se correxerit, quamvis vitam retineat, hereticus tamen fuit et in penam heresis ad carcerem retruditur, de he. Ad abolendam, c. Excommunicamus 2 [sic].³⁾ Ergo per argumentum a contrario, quod validum est in iure, de hiis, que fiunt a pre. sine con. c. Cum apostolica,⁴⁾ si ante deprehensionem se correxerit, hereticus non est. Sed Gregorius nondum est deprehensus, quia nec convictus nec confessus in iudicio nec condemnatus. Igitur nec pro heretico habendus.

3. Eciamsi alii defensores errorum propter incorrigibilitatem vel pertinaciam suam extraiudicalem heretici essent censendi, in papa tamen est secus. Marcellinus enim publice ydolatravit et a fide devius effectus opere suo manifeste docuit ydola posse adorari et tamen ex eo solo, quod in synodo episcoporum contra eum congregata penituit et se correxit, non est indicatus hereticus, 21. di. Nunc autem.⁵⁾ Igitur etc.

Confirmatur hoc ex glo[ssa] 40. di. Si papa super verbis illis: „Nisi deprehendatur a fide devius,“ que sic dicit: „Quod intelligit Hugo, nisi papa paratus fuerit corrigi.“ En textus pre-

¹⁾ c. 4 Potuit, X, de locato., 3, 18.

²⁾ c. 2, X, de sum. Trinit., 1, 1. Gemeint ist im Text offenbar das Schreiben Gregors XII. vom 2. Juli 1408, womit er sein Konzil anscrieb (Mansi, 26, 1085 ff.; DRTA, 6, Nr. 200).

³⁾ c. 9, X, de haeret., 5, 7 und c. 15.

⁴⁾ c. 7, X, de his quae fiunt a praelato sine consensu capituli, 3, 10.

⁵⁾ c. 7.

supponit eum iam deprehensum a fide devium, sed tamen adhuc glo[ssa] tenet eum non esse hereticum, si correxerit se. Igitur etc.

4. Si Gregorius esset hereticus, vel esset verus vel esset presumptus. Verus non, quia hoc pendet ex diffinitione futuri concilii. Presumptus eciam non, quia si pro presunto haberi deberet, hoc esset maxime ex eo, quia talis a pluribus reputatur. Sed hoc stare non potest, quoniam et olym Symachus [sic] papa a multis reputabatur hereticus et tamen non potuit iudicari presumptus, ut videlicet sui ab eo recederent ante sententiam, 8. q. 4. Nonne, 2. q. 7 in § Item Symachus.

5. Si propter solam reputationem aliquorum esset Gregorius presumptus hereticus et pro tali habendus usque ad diffinitionem futuri concilii, multo magis si esset apud bonos et graves de heresi diffamatus. Sed hoc iterum apparet falsum ex hiis, que gesta sunt circa Symachum, cum ille videatur fuisse non tantum a pluribus hereticus reputatus, sed eciam apud bonos et graves de heresi diffamatus et tamen adhuc a suis non poterat ut hereticus haberi. Igitur etc.

In oppositum arguitur. Primo sic. Nutritor antiqui scismatis hereticus est, 20. q. 1. Inter schisma¹⁾ [sic]. Sed Gregorius est [fol. 120 r^o] nutritor talis, ut deductum est in questione proxima. Igitur etc.

2. Quicumque non innititur infallibiliter et firme doctrine, traditioni, determinacioni aut regule sancte Romane ecclesie, hereticus est, 24. q. 1. Hec est fides.²⁾ Sed Gregorius est talis. Igitur etc. Determinavit enim Romana ecclesia licitum esse papam papatui suo cedere, de renun. e. t. li. VI.³⁾ Sed Gregorius dicit hoc esse dyabolicum et dampnatum. Ergo hereticus est.

3. Pertinax defensor erroris hereticus est, 24. q. 3. Dixit Apostolus.⁴⁾ Gregorius est talis, quia tociens iam correctus et monitus a dominis Cardinalibus, episcopis, prelatibus, regibus, principibus, doctoribus et magistris nondum se emendavit, sicut debuit. Igitur etc.

4. Publice diffamatus, quod clericum percusserit, quamvis nondum de hoc constet, debet haberi pro percussore cleri et pro excommunicato usque ad purgacionem vel absolucionem suam, de sen. ex. Cum desideras [sic] in § Secunde questioni.⁵⁾ Ergo et a simili vel a multo maiori publicus defensus [sic! defensor] erroris vel publice de defensione tali diffamatus usque ad tempus illud pro heretico haberi debet. Gregorius est talis. Igitur etc.

¹⁾ c. 26 Inter heresim et schisma, C. 24, q. 3?

²⁾ c. 14.

³⁾ c. Quoniam, de renunciacione, 1, 7 in VI.

⁴⁾ c. 29.

⁵⁾ c. 15, Cum desideras, X, de sentent. excommunicat., 5, 39.

Notabile 1. Antequam ad solutionem huius questionis veniam, premitto aliqua notabilia.

Primum. Sicut est dare clericum vel laycum verum et presumpsum, eum videlicet qui pro tali habeatur, donec contrarium doceatur, de sen. ex. Si iudex lib. VI.,¹⁾ sic et hereticum. Ex quo sequitur, quod quia ad hereticum constituendum pertinacia requiritur, si est dare hereticum presumpsum, etiam est dare pertinaciam presumptam.

Notabile 2. Secundo premitto, quod licet in rebus indifferens non debeamus iudicare, id est, rem in pejorem partem exponere, in malis tamen hoc possumus iudicantes arborem ex fructibus eius, de re. iu. Estote²⁾ Et quamvis voluntate et proposito maleficia distingwantur, de sen. ex. Cum voluntate,³⁾ omne tamen maleficia prave presumitur actum, de presump. c. 1,⁴⁾ et ibi in glo[ssa], nisi ex circumstantiis personarum, locorum et temporum aliud presumatur, de sy. Etsi questiones.⁵⁾

Notabile 3. Tercio premitto. Licet pertinax dicatur, incorrigibilis, irrevocabilis, impudenter tenens, induratus et durus, ut in ele. unica de su. tri. in glo[ssa] super verbo: Pertinaciter,⁶⁾ licet etiam beatus Bernhardus⁷⁾ dicat illud esse cor durum, quod nec compuncione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus nec Deum aut homines reveretur, tamen super ipsa vera pertinacia regula certa dari non potest, quis scilicet pertinax vere dicatur. Sicut ergo in iudicando, quid sit parvum vel magnum, paucum vel multum, notorium vel dubium, enorme vel leve, puram et discretam conscienciam nos oportet habere, ne unum pro alio teneamus, de rescrip. Cum contingat,⁸⁾ de accu. Inquisicio,⁹⁾ et in extravaganti Perlectis [?] que loquitur de enormi et modica lesione clericorum, de qua etiam similia scribuntur per Jo[annem] An[dreae] in c. Pervenit de sen. ex.¹⁰⁾ Talia enim melius apparere possunt ex ostensione facti, quam ex elocutione statuti, de dona. Apostolice,¹¹⁾ sic et in iudicando, quid vel quis sit vere pertinax. Oportet ergo in pertinaci erroris defensione inspicere qualitatem erroris, an sit in articulo, qui est de necessitate salutis vel non, an sit in articulo per Ecclesiam determinato vel non, an sit in

¹⁾ c. 12, de sentent. excommun., 5, 11 in VI.

²⁾ c. 2, X, de regul. iur., 5, 41.

³⁾ c. 54, X, de sentent. excommunicat., 5, 39.

⁴⁾ c. 1, Sicut noxius, X, 2, 23.

⁵⁾ c. 18, X, de simonia, 5, 3.

⁶⁾ c. un., fid. cathol., 1, 1, in Clem.

⁷⁾ De consid., l. 1, c. 2, ed. J. Mabillon, Parisiis 1719, vol. 1, 415.

⁸⁾ c. 24, X, de rescriptis, 1, 3.

⁹⁾ c. 21, Inquisitionis, X, de accusat., 5, 1.

¹⁰⁾ c. 17, X, 5, 39.

¹¹⁾ c. 9 Apostolicae, X, de donation., 3, 24.

articulo, quem quilibet explicite credere tenetur vel non. Facilius¹⁾ enim iudicatur pertinax, qui credit Christum non esse natum de Virgine Maria aut crucifixum vel mortuum, quam qui credit animam rationalem intellectivam non esse formam corporis humani per se et essentialiter, quamvis utriusque oppositum sit per Ecclesiam determinatum. Item oportet inspicere qualitatem errantis, modum defensionis sue, locum et tempus et alia. Facilius enim pertinax iudicatur magister et doctor publicum errorem publice et diu defendens, quam ignarus et simplex vel occulte vel modico tempore permanens in errore. — Ex quibus infero corolaria duo.

Corolarium primum. Non est necesse ad convincendam pertinaciam errantis, eum in errore suo perdurare vel perdurasse usque ad sententiam vel iudicium contra eum intentatum. Quid enim si doctor erroris vel discipulus eius, eciamsi papa esset, longo tempore et modo satis irrevocabili et indurato errorem suum defendit vel credit et in iudicio contra eum ventilato timore condemnationis vel convictionis tanquam mali sibi conscius incipit a primo corrigere que erravit? Invitus et nolens, fecte et non vere corrigit et nullum exinde commodum habebit, 24. di. c. fi.,²⁾ de sy. De hoc³⁾ in glo[ssa], et eod. titulo Per tuasi.⁴⁾ Quis namque vidit aliquem taliter se corrigentem et humiliantem, ideo, quia peccavit, et non ideo, quia perdidit vel perditurus est gloriam suam, de pen. di. 1. Quis aliquando⁵⁾? Facta sunt hec omnia invita et involuntaria sunt⁶⁾ et ideo nullum relevant. Iura sunt nota. Non obstat c. Statutum 2⁷⁾ de he. li. VI., ymmo prodest, quia presupponit illos emendatos, fuisse hereticos, sed filios excusatos aut quibusdam [sic!], de quibus ibi. Corolarium 2^{um}. Errans in errore diu constitutus, eciamsi illum ante iudicium revocet et corrigat, non ideo iudicandus est semper pertinacia caruisse. Quid enim, si quis in errore suo per annum, byennium vel triennium iacuit et nullo adhuc contra eum iudicio constituto a primo in quarto anno corrigit, quod fecit? Per poenitentiam potest salvare animam, sed non abolere notam heretice pravitatis, 2. q. 3 in § Hinc autem colligitur.⁸⁾ Satisfactio enim non immutat malivolum [sic] animum tutoris, Istitutis [sic] de suspec. tu. prope finem.⁹⁾

1) ffacil. (bis).

2) c. 7 Si quis prebyter, D. 24.

3) c. 11, X, 5, 3.

4) c. 32.

5) c. 37, D. I, de poenitent.

6) »Sunt« durch eine nachbessernde Hand eingesetzt.

7) c. 15, de haeret., 5, 2 in VI. In der ersten Schrift steht statt der Ziffer 2 das Zeichen für »et«, wofür dieselbe Hand in anderer, schwärzterer Tinte als Korrektur die Ziffer »2« darüber geschrieben hat.

8) Dict. Grat. p. c. 7. C. II. q. 3.

9) Inst., 1, 26 (ed. P. Krueger, Berlin 1872, S. 12.)

Nunc ad notabilia revertor.

Notabile 4^m. Licet de vera pertinacia regula certa non detur, datur tamen de presumpta. Est enim annexa errori, ut eo ipso quis presumatur pertinax, quo deprehenditur a veritate fidei deviare, nisi, ut premissum est, signa probabilia in contrarium appareant, que hanc presumptionem elidant. Deviantem ergo talem, sine signis videlicet talibus, hereticum immediate presumimus, quia ex opere suo cognoscimus et tamen adhuc iudicio nostro proprio ipsum velut verum hereticum minime condempnamus. Scriptum est enim: „Nolite condempnare, ut non condempnemini“ (Luce V.)¹⁾

Notabile 5. Quamquam signa probabilia apparencia in oppositum presumpsum hereticum excusent, illa tamen probabilia dicuntur, que a viris iustis et intelligentibus, non a cecis vel impiis rationabilia iudicantur. Relinquuntur enim non voluntati, sed arbitrio boni viri, id est, bene videntis et bene vivientis. Quid enim, si cecus, qui opertis oculis nichil videt, iudicat tenebras lucem et lucem tenebras, aut sceleratus, cum quo iusticia non potest habere commercium, [fol. 120 v^o] malum ponit bonum et bonum malum, 11. q. 3. Ve qui dicitis?²⁾ Est itaque boni viri arbitrium, illuminate et pie mentis cum recte ratione iudicium.

(Continuatio in fasc. seq.)

Die literarische und künstlerische Tätigkeit im kgl. Stifte Emaus in Prag.

Von Leander Helmling, O. S. B.

(Nachtrag zum vorhergehenden Artikel.)

Die Leiter der Anstalt waren:

1812—1821 P. Robert Pater, Präfekt; 1821—1827 P. Wilhelm Mentberger, Präfekt, † 1856; 1827—1843 P. Maurus Toupalik, Präfekt; 1843—1850 P. Martin Ružička, Präfekt, 1850—1853 Direktor; 1854—1865 P. Wenzel Schanda, Direktor; 1865—1869 P. Emmanuel Hrdlička, Direktor.

(Schluß zu H. I. 1905, S. 22—29.)

Vierter Abschnitt.

P. Dominikus Stöhr,

geb. zu Böhmisch-Leipa 1752, legte 1777 die Gelübde in Emaus ab und empfing 1780 die hl. Weihen; er starb 1824.

¹⁾ Die Stelle ist Luc. 6, 37.

²⁾ c. 59.